Quelle: http://manuscripta.at/?ID=376
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

In Artaxersis autem regis Persarum
temporibus scripserunt ei de hiis qui in-
habitabant in Iudea et in Ierusalem. Balsa-
mus et Mitridatus et Sabellius et Ra-
thimus. Balthimus Samelius scriba.
et reliqui inhabitantes in Samaria et
ceteris locis subiectam epistolam regi Ar-
taxersi. Domine pueri tui Rathimus
ab accidentibus et Sabellius scriba et re-
liqui curie tue iudices in Celesyria
et Phenice. Et nunc notum sit domino
regi quoniam Iudei qui ascenderunt a vo-
bis ad nos venientes in Ierusalem civi-
tatem refugam et pessimam edificant
furnos eius, et statuunt muros et
templum suscitant. Quod si civitas
ista et muri eius consummati fuerint, tri-
buta non sustinebunt pendere, sed
etiam regibus resistent. Et quia id agitur
circa templum, recte habere arbitrati
sumus non despicere hoc ipsum, sed no-
tum facere domino regi, ut si vide-
bitur rex, queratur in libris paren-
tum tuorum, et invenies in admonitionibus
scripta de hiis, et scies quoniam civitas is-
ta fuit refuga, et reges et civitates
concutiens, et Iudei refuge et prelia con-
mittentes in ea ab eterno, ob quam
causam et civitas ista deserta est. Nunc
ergo notum facimus tibi domine rex,
quoniam si civitas ista edificata fuerit,
et huius muri erecti fuerint, descensus
tibi non erit in Celesyriam et Phenicem.
Tunc rescripsit VIII.
rex Rathimo qui scribebat
accidentia, et Belthimo et Sabel-
lio scribe, et ceteris constitutis et inhabi-
tantibus in Syria et Phenice ea que sub-
iecta sunt. Legi epistolam quam misistis
michi. Precepi ergo inquiri, et inventum est
quoniam civitas illa est ab evo regibus re-
sistens, et homines refuge et prelia in
ea efficientes. Et reges fortissimi er-
ant in Ierusalem dominantes et tribu-
ta exigentes a Celesyria et Phenice.
Nunc ergo precepi prohibere homines il-
los edificare civitatem, et providere ne quid
ultra hec fiat, sed nec procedant in plu-
rimum ex quia sunt malicie, ita ut re-
gibus molestia importetur. Tunc reci-
tatis hiis que a rege Artaxerse scripta
fuerant, Rathimus et Sabellius scriba
et qui cum hiis constituti erant, iungen-
tes festinanter venerunt in Ierusalem cum
equitatu et turba et agmine, et ceperunt
prohibere edificantes, et vacabant ab
edificatione templi in Ierusalem usque secundo
anno regni Darii regis Persarum. X
Rex Darius fecit cenam mag-
nam omnibus vernaculis suis
et omnibus magistratibus Medie
et Persis, et omnibus purpuratis et pre-
toribus et consulibus et prefectis sub illo ab
India usque Ethyopiam c. xxvii. pro-
vinciis. Et cum manducassent et bi-
bissent et saciati essent, revertebantur.
Tunc Darius rex ascendit in cubi-
culum suum et dormivit, et experge-
factus est. Tunc illi tres iuvenes cor-
poris custodes qui custodiebant cor-
pus regis, dixerunt alter alteri. Dica-
mus unusquisque nostrum sermonem qui
precellat, et cuiuscumque apparuerit sermo
sapientior alterius, dabit illi Darius
rex dona magna, purpura cooperiri
et in auro bibere, et super aurum dormi-
re, et currum aureo freno, et cydarim
byssinam, et torquem circa collum,
et secundo loco sedebit a Dario propter sa-
pientiam suam, et cognatus Darii vo-
cabitur. Tunc scribentes singuli su-
um verbum signaverunt, et posuerunt sub-
tus cervical Darii regis, et dixerunt.
Cum surrexerit rex dabunt illi scrip-
ta sua. Et quemcumque iudicaverit rex
et tribus magistratus Persidis quoniam verbum
eius sapientius est, ipsi dabitur victo-
ria sicut scriptum est. Unus scripsit: For-
te est vinum. Alius scripsit: Fortior est rex.
Tertius scripsit: Fortiores sunt mulieres.